



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 14. De Irregularitate in specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

§. XIV.

De Irregularitatibus in specie.

Irregularitatum duo genera esse ex supradictis liquet, unum ex defectu inculpabili seu merâ indecentiâ, alterum ex delicto. Prioris generis octo species reperiuntur 1. ex defectu natalium. 2. defectu originis. 3. libertatis. 4. ætatis. 5. famæ. 6. Corporis. 7. animæ. 8. Sacramenti. Illarum quæ ratio, & conditio sit, eodem servato ordine explicabimus. 1. Igitur ex defectu natalium irregulares sunt omnes illegitimi. *c. 1. & ult. de fil. presb.* Ecclesiæ honestas deformatur, ex eo, quod filii Sacerdotum & alii non legitime nati ad dignitates, & alia beneficia curam animarum habentia sine dispensatione promoventur. Legitimis accensentur, quorum genitores priorem copulam matrimonio correxerunt, ita ut ad omnia beneficia & dignitates admitti possint, exceptâ Cardinalitiâ dignitate. *Franc. Leo part. 3. c. 40. num. 14.* Illegitimi verò saltem Canonicè censentur, qui à conjugibus nascuntur, postquam se mutuo consensu continentis voto solenni obstrinxerunt. *V. Suar. V. Disp. 50. Sess. 52.* Hanc irregularitatem *Geminian. in c. presbyterum Dist. 16.* non ex defectu, sed peccato, alieno nimirum, nominandam censeat: non satis perpendens, natum esse, licet causam extrinsecam habeat, denominare ipsam prolem, quæ idem dedecore affecta est. In hac specie Episcopus dispensat ad minores ordines, & unum beneficium simplex. *c. 1. de fil. presb. in 6.* Tollitur etiam per professionem in Religione, in quâ non est pater, adhuc vivit juxta

Constitutum *Greg. XIV.* ita ut ad omnes sacros ordines promoveri possint, non tamen ad prælationes, ut dixi in *part. 1. Tit. 15. §. 4. n. 11. V. Dian. part. 4. tr. 2. Res. 66.* ubi addit in ejectionis Ordinum Religiosorum præfessis non reviviscere notam illegitimationis de ejectionis verò, seu dimissis è Societate Jesu negat, contra *Sandoz. l. 5. Mor. c. 5. num. 14.*

2. Propter defectum originis irregulares sunt *l. rvi. id est, matre non liberè nati. Dist. 54. per tot. & tr. de sev. non ordin.* Nam absque injuriâ Domini non possunt ordinari. Secus in penam incidit Episcopus, nisi per ignorantiam, vel errorem excusetur: & Dominus ad repetendum servum unius anni spatium habet. Quod si ordinatus fuerit Sacerdos, continuò liber efficitur, & ministrat in ordine, debito tamè peculio vel exiguò, aut si non habet, inhonestis obsequiis serviet, obeundo munus Sacellani aut alterius officialis, ex quo non deformatur dignitas Sacerdotii. *Silv. V. servus n. 4. & 5.*

3. Libertatis seu liberationis causa, ut *Præpositus* loquitur *c. 1. Dist. 10.* non possunt ad ordines promoveri, qui vel Curis ministerio tenentur, ut Iudices, advocati forentes, Notarii milites, & similes ministri: Item, qui publicis rationibus obligati sunt, uti Curatores, tutores, procuratores, de quibus est *tr. 19. in l. 1. Decretal. de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* Ubi *Gratus* Episcopus de isto hominum genere dicit, si post deposita onera, & reddita ratiocinia actus, & ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude DEI, si postulati fuerint, honore munerari: si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint

fuert ordinati. Ecclesia infamatur. Notanda sunt illa, si actus vitæ ipsorum fuerint comprobati. Nam si in reddenda ratione tutor, aut quicumque administrator defecerit, vel de dolo ipsi mota lis fuerit, ad ordinationem admitti non debet: imò si de facto ordinaretur, dignus esset depositione, etiam si postea causam obtineret. *Glo. in V. obrepit c. tantum Dan & ibid. Archid. 81. Dist. Majol de irreg. l. 2 c. 11.*

Limita 1. In eo, qui gravatus est debito extra administrationem contracto puta, ex mutuo, locatione, emptione, aut simili contractu. Nam super illis lite pendente non est ab ordinibus sacris repellendus: nisi forte ita oneratus sit, ut ex peculio suo impossibile sit illi satisfacere.

Limita 2. In eo, qui rerum Ecclesiasticarum, aut miserabilium personarum, vel cujuscunque piæ causæ administrator sit. Neque enim etiam nondum dimissa administratione à susceptione sacerdotum ordinum prohibetur. *c. ult. Dist. 80. c. indicatum Dist. 89.*

Limita 3. In eo, qui publicis rationibus obstrictus fidejussores præstiterit. *Abb. in c. Magnus de obligat. ad ratiocinat. Majol. l. 2 c. 11 num. 14.* Addens procedere, si fidejussor constituat se principalem, ita ut possit ante principalem debitorem conveniri.

Limita 4. In eo, qui in minori ordine constitutus alicujus etiam Laici curator, vel administrator est. Ad altiores enim ordines progredi potest, quamvis de reddenda ratione nondum ulla facta sit mentio. *V. Barb. in c. c. Magnus de oblig. ad ratiocinat.*

4. Etas quamdiu minor est, quam Canonibus exigunt, ab ordinum susceptio-

ne rejicitur tanquam inhabilis. Quod si nihilominus susceperit aliquis, ab executione ordinis, & usu suspensus est, usque ad temporis præscripti terminum. *c. vel non est compos. de temp. ord.* Hodie jure novo *Con. Tr. Sess. 22. c. 12. reform.* Pro Subdiaconatu requiritur annus 22. pro Diaconatu 23. pro Sacerdotio 25. intellige de inchoatis, Episcopi ætas sunt 30. anni completi. Et circa hanc ætatem Episcopus non potest dispensare, ut ibid. Congregatio Cardinalium monet.

NOTA. Per Extrav. *Pii II.* non tantum suspensus est, qui intempestivè, & præproperè ordinatur, sed etiam irregularis efficitur: nec ipso temporis lapsu definit suspensio, sed opus est dispensatione. Episcopus verò, qui scienter ante tempus constitutum ordines contulit, à collatione ordinum suspendendus est, juxta *c. vel non est compos. de temp. ordm.*

5. Quod irregularitatem ex infamia seu facti seu juris natam attinet, illa nemini ex alieno facto irrogatur, nisi speciali jure constitutum sit. Nam ut ex supra dictis constat, irregularitatis nota non ex natura rei, sed libera voluntate pendet, quæ ex decretis & legibus publicatis cognoscitur. *Fill. rr. 19. c. 8.* Hinc sequitur, quibus in casibus filii propter parentum delicta infamiam contrahunt, ut proditorum, & similibus, iisdem irregulares constitui. *l. quisquis C. ad l. Jul. majest.* Hæreticorum filii absolute infames non sunt, sed irregulares & infames tantum ad honores, & beneficia in Jure expressa. Idem judicium de infamia ob vilem conditionem, ac statum esto. Usus artis infamis, aut muneris ignominiosi, cujusmodi est histrionica, gladiatorum, carnificum, infames,

& con-

& consequenter inhabiles ad susceptionem, & executionem ordinum sacrorum reddit. Non reddit aliorum quantumvis viliū artificum practica, nisi iure manifesto id determinatum sit. Nec parentum ignobilitas filio aliās idoneo ad honores, & gradus Ecclesiasticos obesse debet. *Gloss. in c. quoniam 24. q. 1. Felin. in c. Deputati de iudic. Nav. c. 27. n. 204.*

6. De corporis defectu, qui irregularitatem inducat, traduntur sequentes Regulæ. *Prima*, qui defectus vel notabilem deformitatem causat, vel usum sacri ordinis impedit, irregularem facere potest. *c. ul. de corpore vitiatis*. Insignis deformitas censetur amputatio nasi, fissio labiorum, linguæ decurtatio, claudicatio, & similia apud *Tolet. l. 1. c. 63*. *Secunda*. Aliud in susceptione Ordinum, aliud in executione impedimentum est: & facilius executio permittitur, quam susceptio. *S. Thom. 3. part. quest. 82. art. ult.* Quia defectus superveniens, modò non enormem læsionem faciat, vires, & facultatem operandi relinquit: ut si oculo privetur Sacerdos, ad conciones, & confessiones audiendas non erit inhabilis. *Tertia*. Qui defectus occulti sunt, non inducunt irregularitatem, nisi propriā culpā acciderint. *Prior pars* manifesta est. Nam quæ occulta sunt, nec deformitatem, nec scandalum pariunt. *Secunda pars ex c. si quis abscidit. Dist. 55. c. significavit de corpore vitiatis c. qui partem c. Maritum Dist. 33.* colligitur, & communiter omnes agnoscunt. Nā qui virilia sibi, etiam amore castitatis abscidit per se, vel per alium, irregularis est. Similiter qui partem digiti volens sibi abscidit. Cui verò casu, vel necessitate aliquid illorum accidit, non

excluditur. *V. Dist. 55. à c. 4. usque ad exaratum. Coninck Dist. 18. Dub. 13. Layman. l. 1. tract. 5. part. 5. c. 7.*

7. Propter defectum animæ irregulares sunt 1. infantes usque ad annum septimum regulariter. 2. Perpetuò amentes. 3. Furiosi ad tempus. 4. Lunatici, & epileptici. 5. Arreptitii, & energumeni. *Dist. 33. & ibid. Glossa*. Qui infideles, & nondum baptizatos annumerant, non distinguunt inter irregulares, & naturaliter incapaces. Illiteratos autem, id est, scientiā necessariā carentes meritò accensentur per *c. illiteratos Dist. 35*. Sublata autem ignorantia cessat quoque irregularitas, ut suscipere ordines, & ministrare in suscepiis possint. *V. Suar. Dist. 51. Sect. 1. Filius. tract. 19. c. 7. Tolet. l. 1. c. 64. Fernandez. part. 2. c. 10. §. 8. Franc. Leo in thesau. Eccl. par. 3. c. 40.*

8. Denique defectu Sacramenti omnes bigami sunt irregulares. *c. debitum. de bigamia*. Quia nimirum iterata matrimonii suscepiō non benè repræsentat conjunctionem unius Christi cum una Ecclesia, quæ est perfecta matrimonii significatio. Non vocatur autem Sacramenti defectus, quasi matrimonium, vel invalidè, vel cum peccato iteretur. Hinc in *c. qui sanè Dist. 26. dicitur*. Qui iteravit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exiit Sacerdotis: nec interest, ante vel post Baptismum bigamus sit. *DD. in c. Gaudemus de divort. Covar. Clem. si furiosus par. 1. §. 2. n. 5.* Verum non una, sed triplex bigamia est, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera dicitur, cum duplex matrimonium reipsa contrahitur. Interpretativa, cum interpretatione Juris duplex matrimonium censetur, ut si cum vidua aut corrupta

rupta contrahas. Similitudinaria, cum ex eadem Juris interpretatione sed alia causa duplex Matrimonium reputatur, ut si quis post votum solenne castitatis cum Virgine matrimonium inerat, eamque cognoscat. Unum namque matrimonium videtur esse unum spirituale, alterum carnale ac proinde bigamus, qui utrumque egit. De singulis dubia, quæ occurrunt, expedienda breviter iunt.

I. Ac primò quidem licet ad veram bigamiam plerique requirant utriusque matrimonii validitatem, dissentiunt tamen, an ex duplici invalido matrimonio quisquam irregularis fiat? probabilius autem videtur, irregularem fieri ex utroque invalido. Si idem affectus contrahendi sit opere externo, & sequatur consummatio. Nam ejusmodi modus contrahendi in foro externo non differt, ab eo, per quem matrimonium validè contrahitur, & ab omnibus pro valido agnoscitur. Sufficit ergò ad inducendam irregularitatem, interpretatione quadam, & præsumptione Juris. *Ostiens. Abb. Rich. Suar. l. cit. n. 11. Navar. c. 27. n. 19. 4. & Consil. 1. de bigamis Tolet. l. 1. c. 66.*

II. Quod de ignorantia quærent aliqui, ea non obstante irregularitatem à bigamo contrahi, ratio manifesta persuadet. Ea dem namque indecentia in æstimatione hominum manet, sive sciens, sive ignorans iteret matrimonium. Et generalis observatio est in privationibus hujusmodi, per legem cõstitutis nihil aliud requiri, quàm opus externum, quo præstito statim censetur in pœnam præfixam incidisse. *Fill. tract. 19. c. 4. n. 107.*

III. De bigamia interpretativa DD. ferè consentiunt in 4. casibus irregularita-

tem adferre posse: primò per contractum validum vel invalidum cum vidua. *c. precipimus c. Lector. Dist. 34.* Subsecuta consummatione. *Secundò per contractum cum corrupta ab alio. c. marit. Dist. 33. Tertio per contractum cum repudiata ab alio: quod quidem ab Ecclesia nunquam permissum est, fieri tamen à perversis hominibus potest, ob eamque causam irregularitas illis infligitur. c. 1. de bigamis c. si quis viduam Dist. 50.* Nec interest, validè, an invalidè contrahatur, cum eadem in utroque, modo indecentia sit. *Quartus casus est, si quis uxorem propriam post adulterium ab ea commissum cognoscat. c. si cujus c. si Laici Dist. 34.* Hoc enim perinde est, ac si contractum cum muliere corrupta faceret. *Amplia, quavis ab adultero per vim violata uxor esset, & factum maritus nunquam cognovisset. Nam significationis requisitæ defectus semper adest, nec ad illum culpa supponitur. Covarr. in Clem. si furiosus par. 1 §. 2. n. 2. Rich. Dist. 24. q. 3. Rota Decis. 1. de bigamis in novis. Henric. l. 12 c. 6. Filliur. tr. 19. c. 4. num. 114. Coninck Diss. 18. Dub. 11. num. 100. Layman. l. 1. tract. 5. part. 5. c. 6. Gibalin. de Irreg. c. 3. quæst. 4.*

IV. Superest non vulgare dubium, an sicut professus in aliqua religione approbata, matrimonium iniens, & consummans bigamiam similitudinariam contrahit, ita eandem contrahat Clericus in ordine, sacro constitutus, si idem faciat? *Negat Ostiens. Archid. & Abb. in c. nuper hoc et.* Nullum enim Jus reperitur expressè inducens talem irregularitatem. Nec idem utrobique agitur. Professus in approbato ordine speciali quodam se Deo & religioni offert ac tradit, unde nascitur

particularis quædam obligatio, & vinculum: quod in susceptione ordinis sacri non contingit. *Contrarium Ang. Sily. Armilla. Antonin Nav. l. cit. Suar. Sect. 4. n. 3. Filia l. cit. n. 120. erueret conantur ex c. quotquot 27. q. 1. ubi ex Synodo Ancyranâ dicitur, Quotquot Virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent. Adde c. Sa. è eod. ubi Sacerdos, qui nuptios contrahit, post longam pœnitentiam restituitur ad executionem ordinum per dispensationem Episcopi sui; quod signum est irregularitatem contraxisse, ex bigamiâ scilicet similitudinaria.*

V. Bigamiæ in pœnam constituta est privatio privilegii clericalis. *c. un. de bigamis in 6. ubi Greg. IX. Bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos, & coercionem fori sæcularis additos, consuetudine contraria non obstante. Conc. Tr. Sess. 23. c. 17. de reform. cœcedit, ordines minores exerceri posse per Clericos conjugatos, dummodò non sint bigami. Igitur bigami Laici non tantùm ab ordinibus suscipiendis, sed etiam omnium ordinum executione remouentur. Nec habitum, & tonsuram ferre possunt. *Filla. n. 124. §. 125. Amplia, ut valeat etiam in bigamia interpretativa. Nam in c. cit. Greg. IX. responder ad quæstionem ortam in c. quisquis Dist. 84. in qua expressè nominatur Clericus, qui viduam, aut secundam uxorem duxit. Unde sequitur, etiam bigamos interpretativè prædictæ pœnæ & privationi subiectos esse, ita tamen, ut non amittant privilegium Canonis, quia supponitur, vel in Religioso ordine professos, vel lætro aliquo ordine initiatos**

esse. Quicumq; igitur suadente diabolo illorum aliquem contigerit, ex communitatis censetur. *c. un. cit. Sayrus l. 6. c. 5. Suar. Diss. 49. Sect. 5. n. 3. Em. Sa. V. irregul. ex bigam. Filla. tract. 19. c. 4. num. 123.*

VI. Nulla irregularitas ex prædictis per Baptismum, aut professionem Regularem tollitur. *c. acutus Dist. 26. ubi dicitur per Baptismum peccata omnia auferri, & quia nuptiæ peccatum non sunt, bigamû nubendo non peccare, sed tamen non omnia Sacramenti amittere, non ad vitæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Cùm enim inter non baptizatos quoque, & infideles verû matrimonium sit, illius usu dividitur maritus, nec potest matrimonio suo significare unionem illam, quæ est Christi ad Ecclesiam Neque obstat *S. Hieron. auctoritas in Com. ep. 1. ad Tim. 3. ubi contrarium tuetur; neq; Canon. 16. Apost. ubi legitur. Qui post baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, is Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in consortio Sacerdotali esse non potest. Non obstat, inquam, quia illo tempore quidem ita servatum apparet, sed postea aliter sancitum, & antiquo juri derogatum esse comperimus. Ceterum concubinatus seu fornicatio hodie neminem irregularem facit, quemadmodum in citato Canone insinuat. Jam quod professionem Religiosam attingit, non tollit ab illa bigamia irregularitatem ex fundamento superiusposito manifestum est. Nam neque in Jure communi, neque consuetudinario, neque ex institutione ordinum quicquã colligitur. Igitur omninò speciale jus in medium proferri deberet ad id probandû, quod hætenus nemo**

nemo fecit. *Sily. V. Bapt. §. 6. n. 2.* Superest igitur, ut Irregularitas bigamiæ sola dispensatione auferatur. Equidem de Sum. Pontifice non dubitamus, quin ad omnem omnino illius jurisdictione extēdat: Episcopi autem in illis, quæ specialiter ipsis conceduntur. Equidē in *c. 1. qui Clerici vel voventes.* videtur permitti, ut dispē. sent in bigamia similitudinaria cum Clerico in sacris constituto, & consequenter seu à fortiori cum Religioso professo. *Regin. l. 30. tr. 2. n. 26. Adde quod S. Th. tradit in 4. Dist. 22. q. 3. ar. 3. Sily. V. bigamia q. 7. Avila par. 7. Disp. 8. dub. 4.* Episcopum dispensare posse cū quocunq; bigamo ad ordines minores. Quid verò *Con. Tr.* circa occultam irregularitatem tribuat Episcopis, supra diximus, & legi potest *Seff. 24. c. 6. de reform. Sily. V. bigam. n. 7. Arm. n. 92. Nav. c. 27. n. 198. Fill. tr. 17. c. 4. n. 128. Laym. l. 1. tract. 5. par. 5. c. 6. n. 6. Gibalinus c. 6. q. 2. Fernand. l. c. §. 9. Suar. V. Disp. 41. Sect. 2. n. 4. & Disp. 49. Sect. 7. Franc. Leo in thesaur. Eccl. c. 41. n. 57.* Ubi etiam reperies formulam absolvendi.

§. XV.

De Irregularitatibus ex delicto.

Hujus generis *Valentia IV. Disp. 7. q. 19. pun. 3. ex Nav. c. 27. n. 192.* quinque numerat, videlicet I. Baptismaum iterare. 2. suscipere, aut exercere indebito modo sacros ordines. 3. violare censuras. 4. crimen enorme, ac notorium. 5. deformare aliquem mutilando, vel occidendo. *Reginald. l. 30. tract. 2. num. 7.* hæresin addit, atque ita sex species facit. De his eodem servato ordine deinceps acturi, à Baptismi abusu ordiamur.

De iterato Baptismo.

I. Rebaptizans aliquem, & minister ipse irregularis efficitur, ita ut nullum ex superioribus ordinibus obtinere queat. Ita communiter DD. de ministrante specialiter extat textus expressus in *c. ex literarum de apostatis.* Unde sequitur, multò magis rebaptizantem irregularem fieri. Quod etiam usus legum fides interpres contestatur. *Navar. c. 27. n. 246. Avila par. 7. Disp. 7. dub. 1. Henric. l. 2. c. 31. n. 1. Suar. III. D. 31. Sect. 6. Coninck Disp. 18. dub. 4. n. 35. Toletus l. 1. c. 70. n. 5.* Similiter irregularis fit ipse rebaptizatus. *c. Afios Dist. 98. & c. qui in qual. l. q. 7. & c. eos, quos de consecr. dist. 4.* Sed an ignorantia excuset, ambigitur? Excusare eum, qui ignorantia probabili & invincibili secundò baptismum recipit, magis recepta opinio est *Scoti in 4. dist. 6. q. 8. Soto eod. dist. 3. q. un. ar. 9. Cov. Clem. si furiosus par. 1. n. 8. Nav. lo. cit. Avila l. cit. Disp. 7. dub. 2. Suar. Disp. 31. l. cit. & de Censuris Disp. 42. Sect. 1. Tolet. l. 1. cita Em. Sa. V. Irreg. ex Bapt. n. 1. Laym. l. 1. tr. 5. par. 5. c. 2. sumitur ex c. placuit & c. qui apud 1. q. 4. ubi decernitur, parvulos ab hæreticis baptizatos, cum ad Ecclesiam Dei reversi fuerint, ordines accipere posse. Neque obstat Canon *qui bis de consecr. Dist. 4. qui bis ignoranter baptizatos negat extra magnam necessitatem ordinari posse.* Quia ut Covarr. notavit, sumptus est ex Pœnitentiario Theodori, & idcirco non potest auctoritatem legis habere. *Fill. tract. 2. c. 4. num. 92.**

II. Qui baptismum ab hæretico recipit, nec per necessitatem vel ignorantiam excusatur, irregularis est. *c. placuit cit.*